

3º *Metaphysicum vocatur res immaterialis*, sive sit positive in se immaterialis: Deus, angelus, sive *praecisive*, in quantum res quoque materiales considerantur sub ratione immateriali: a) praescindendo a qualitatibus sensibilibus i. e. sensibili proprio et communis; b) praescindendo ab individuatione, sive a statu existentiae individualis, c) praescindendo etiam formam a subiecto. Ordo igitur metaphysicus comprehendit sensu *latissimo* omnes res sive existentes sive possibles, quae non sunt obiectum sensuum; sensu *strictiore* possibilia, quae proprie sunt obiectum conceptum nostrorum; sensu *strictissimo* res pure spirituales. In thesi affirmamus, possibilia esse aliquid in ordine metaphysico *praecisive* sumpto, i. e. *praecisione* facta a rerum individuali existentia et proprietatibus actu sensibilibus, non vero affirmamus esse quidquam in se positive immateriale i. e. spirituale in se existens.

4º Possibile concretum est *subiectum* cum sua forma, quod fieri et existere potest; possibile *abstractum* est ipsa forma sine subiecto in se considerata, sive complexus notarum, quibus essentia constituitur.

5º Adversantur nobis in hac quaestione ex una parte *Panteistae* et *Materialistae*, qui si sibi consentanei esse volunt, negare detent, esse quidquam possibile, praeter illud, quod existit et quidem necessario existit; ex altera parte *Nominalistae*, *Idealistae*, *Sensistae*, *Subiectivistae*, et qui ipsis in hac re consentiunt<sup>1)</sup>, dicentes nos conceptibus nostris non percipere primo et immediate quidquam reale et obiectivum.

#### I. Possibilia sunt aliquid reale in ordine metaphysico.

*Prob. 1. Per exclusionem:* Possibilia aut habent realitatem aliquam, aut non. Si habent realitatem, haec est aut existens (*physica*), aut non existens (*metaphysica*). Si vero possibilia non haberent realitatem, vel essent pure entia rationis i. e. in se et positive impossibilia (cfr. supra 391), vel consistenter formaliter non nisi in relatione aliqua. Atqui ostendimus, possibilia a) non constitui per relationem sive ad res existentes, sive ad intellectum nostrum, sive ad intellectum et voluntatem divinam; b) neque esse entia rationis in se impossibilia; fiunt enim revera idque positive et formaliter; c) neque habere realitatem existentem, physicam sive in seipsis sive in Deo. Ergo non restat, nisi ut habeant realitatem quidem, at tamen non existentem, sed metaphysicam.

*(Prob. 2. Ex natura possibilis:* Possibile formaliter sumptum est aliquid, quod intrinsecus non repugnat ac proinde fieri potest. Atqui

<sup>1)</sup> Cfr. Müller, System d. Philos., vocans possibilia, sicut potentias subiectivas: „Ontologismus“, „Hypostasierung eines Begriffes“, „schlimmsten Auswuchs der Scholastik“; vide Pastor bonus, 1898, p. 577.

aliquid idem est atque ens, ac proinde saltem nihilo essentiae opponitur et enti rationis; deinde non includere repugnantiam et fieri posse, de nihilo absoluto dici nequit. Ergo etiam possibile nihilo essentiae et enti rationis opponitur et per consequens habet in se positivam rationem entis et essentiae.

3. *Ex comparatione possibilis cum nihilo absoluto et ente rationis:* Nihil absolutum et entia rationis vocantur, quae a) non in se positive cognosci, b) de quibus nullum attributum reale praedicari, c) quae positive produci non possunt; non enim sunt nisi negationes entis seu perfectionis positivae. Atqui possibilia: a) in se cognoscuntur, non per relationem ad aliam realitatem; nam terminant saltem cognitionem nostram et constituunt comprehensionem conceptum nostrorum: ab invicem distinguuntur et quidem per propriam suam essentiam, e. g. homo possibilis a lapide possibili; triangulus a circulo; immo saepe determinant, et luce sua necessitant mentem ad cognitionem et assensum, e. g. axiomata, veritates mathematicae, quae per se sunt de rebus possibilibus. Quin etiam voluntatem movent ad agendum, neque quidquam magni vel parvi efficitur, quin cognitione de rebus possibilibus faciendis praeluceat; b) *attributa realia* de possibilibus praedicantur, e. g. homo possibilis est vere animal rationale, licet possibile; cogita omnia illa theorematum mathematica, quae de triangulo, quadrato, circulo etc. per se solum possibilibus statuuntur, et scientiam mathematicam efficiunt certe realem et maximi valoris ad artes mechanicas exercendas; c) possibilia *producere* possunt, ita ut illud idem, quod antea erat in statu possibilitatis, nunc inveniatur in statu existentiae; et hoc modo omnes res finitae existentes olim erant in statu merae possibilitatis, et quidquid cotidie facimus, priusquam factum est, possibile erat. Ergo possibilia non sunt nihil absolum, sed aliquid reale in se, licet non actu existens.<sup>1)</sup>

4. *Ex natura conceptum nostrorum:* Conceptus nostri habent valorem obiectivum. Atqui si possibilia non haberent realitatem metaphysicam, conceptus nostri non haberent obiectivum valorem; nam conceptus rei existentis idem est quoad comprehensionem, ac conceptus rei possibilis, utraque enim convenit in uno eodemque conceptu; immo conceptus nostri per se non exhibent rem existentem qua existentem, sed abstrahunt a rerum existentia et individuatione, neque singulares fiunt, nisi per conversionem ad phantasmatum. Ergo possibile habet realitatem metaphysicam.

5. *Ex testimonio conscientiae:* Conscientia testatur, nos veritatis de rebus possibilibus (e. g. mathematicis:  $2 + 2 = 4$ ) non assentiri: a) propter causam subiectivam, i. e. quia et in quantum a nobis cognoscuntur; b) neque ideo res possibles haberi, quia existunt

<sup>1)</sup> Cfr. Aristotelem, metaph. XI, 3.

3º *Metaphysicum* vocatur *res immaterialis*, sive sit *positive* in se immaterialis: Deus, angelus, sive *praecisive*, in quantum res quoque materiales considerantur sub ratione immateriali: a) *praescindendo* a qualitatibus sensibilibus i. e. sensibili proprio et communi, b) *praescindendo* ab individuatione, sive a statu existentiae individualis, c) *praescindendo* etiam formam a subiecto. Ordo igitur metaphysicus comprehendit sensu *latissimo* omnes res sive existentes sive possibles, quae non sunt *objecum sensuum*; *sensu strictiore possibilia*, quae proprie sunt *objecum conceptum nostrorum*; *sensu strictissimo* res pure spirituales. In thesi affirmamus, possibilia esse aliquid in ordine metaphysico *praecisive* sumpto, i. e. *praecisione* facta a rerum individuali existentia et proprietatibus actu sensibilibus, non vero affirmamus esse quidquam in se positive immateriale i. e. spirituale in se existens.

4º Possibile concretum est *subiectum* cum sua forma, quod fieri et existere potest; possibile *abstractum* est ipsa forma sine subiecto in se considerata, sive complexus notarum, quibus essentia constituitur.

5º Adversant nobis in hac quaestione ex una parte *Pantheistae* et *Materialistae*, qui si sibi consentanei esse volunt, negare detent, esse quidquam possibile, praeter illud, quod existit et quidem necessario existit; ex altera parte *Nominalistae*, *Idealistae*, *Sensistae*, *Subiectivistae*, et qui ipsis in hac re consentiunt<sup>1)</sup>, dicentes nos conceptibus nostris non percipere primo et immediate quidquam reale et *objecitivum*.

#### I. Possibilia sunt aliquid reale in ordine metaphysico.

*Prob. 1. Per exclusionem:* Possibilia aut habent realitatem aliquam, aut non. Si habent realitatem, haec est aut existens (*physica*), aut non existens (*metaphysica*). Si vero possibilia non habent realitatem, vel essent pure entia rationis i. e. in se et positive impossibilia (cfr. supra 391), vel consistent formaliter nonnisi in relatione aliqua. Atqui ostendimus, possibilia a) non constitui per relationem sive ad res existentes, sive ad intellectum nostrum, sive ad intellectum et voluntatem divinam; b) neque esse entia rationis in se impossibilia; fiunt enim revera idque positive et formaliter; c) neque habere realitatem existentem, physicam sive in seipsis sive in Deo. Ergo non restat, nisi ut habeant realitatem quidem, at tamen non existentem, sed metaphysicam.

(*Prob. 2. Ex natura possibilis:* Possibile formaliter sumptum est aliquid, quod intrinsecus non repugnat ac proinde fieri potest. Atqui

<sup>1)</sup> Cfr. Müller, System d. Philos., vocans possibilia, sicut potentias subiectivas: „Ontologismus“, „Hypostasierung eines Begriffes“, „schlimmsten Auswuchs der Scholastik“; vide Pastor bonus, 1898, p. 577.

aliquid idem est atque ens, ac proinde saltem nihil essentiae opponitur et enti rationis; deinde non includere repugnantiam et fieri posse, de nihilo absoluto dici nequit. Ergo etiam possibile nihil essentiae et enti rationis opponitur et per consequens habet in se positivam rationem entis et essentiae.

3. *Ex comparatione possibilis cum nihilo absoluto et ente rationis:* Nihil absolutum et entia rationis vocantur, quae a) non in se positive cognosci, b) de quibus nullum attributum reale praedicari, c) quae positive produci non possunt; non enim sunt nisi negationes entis seu perfectionis positivae. Atqui possibilia: a) in se cognoscuntur, non per relationem ad aliam realitatem; nam terminant saltem cognitionem nostram et constituunt comprehensionem conceptum nostrorum: ab invicem distinguuntur et quidem per propriam suam essentiam, e. g. homo possibilis a lapide possibili; triangulus a circulo; immo saepe determinant, et luce sua necessitant mentem ad cognitionem et assensum, e. g. axiomata, veritates mathematicae, quae per se sunt de rebus possibilibus. Quin etiam voluntatem movent ad agendum, neque quidquam magni vel parvi efficitur, quin cognitione de rebus possibilibus faciendis praeluceat; b) *attributa realia* de possibilibus praedicantur, e. g. homo possibilis est vere animal rationale, licet possibile; cogita omnia illa theorematum mathematica, quae de triangulo, quadrato, circulo etc. per se solum possibilibus statuuntur, et scientiam mathematicam efficiunt certe realem et maximi valoris ad artes mechanicas exercendas; c) possibilia *produci* possunt, ita ut illud idem, quod antea erat in statu possibilis, nunc inveniatur in statu existentiae; et hoc modo omnes res finitae existentes olim erant in statu merae possibilis, et quidquid cotidie facimus, priusquam factum est, possibile erat. Ergo possibilia non sunt nihil absolutum, sed aliquid reale in se, licet non actu existens.<sup>1)</sup>

4. *Ex natura conceptum nostrorum:* Conceptus nostri habent valorem *objecitivum*. Atqui si possibilia non haberent realitatem metaphysicam, conceptus nostri non haberent *objecitivum* valorem; nam conceptus rei existentis idem est quoad comprehensionem, ac conceptus rei possibilis, utraque enim convenit in uno eodemque conceptu; immo conceptus nostri per se non exhibent rem existentem qua existentem, sed abstrahunt a rerum existentia et individuatione, neque singulares fiunt, nisi per conversionem ad phantasmatum. Ergo possibile habet realitatem metaphysicam.

5. *Ex testimonio conscientiae:* Conscientia testatur, nos veritatis de rebus possibilibus (e. g. mathematicis:  $2+2=4$ ) non assentiri: a) propter causam subiectivam, i. e. quia et in quantum a nobis cognoscuntur; b) neque ideo res possibles haberi, quia existunt

<sup>1)</sup> Cfr. Aristotelem, metaph. XI, 3.

vel existere possunt; immo fieri et existere posse, quia possibles sunt, et distinguimus inter intrinsecam et extrinsecam possibilitatem; sed c) quia videmus, res independenter a nostra cognitione et existentia sua actuali ita esse in se, ut sint norma et causa cognitionis nostrae et obiectivam constituant rei necessitatem, quae cognita assensum extorquet. *Atqui* quod nihil est, non potest esse causa et norma cognitionis nostrae, neque assensum nostrum determinare et extorquere; neque in hac re testimonium conscientiae fallere potest, quia eius est referre actum etiam eo modo, quo in nobis existit, sc. ut vel a nobis ipsis vel aliunde determinatum. *Ergo* possibilia habent in se realitatem aliquam metaphysicam.

6. *Ex absurdis*: Si possibilia nullam haberent propriam realitatem in ordine metaphysico: a) scientia valore obiectivo destitueretur; nam obiectum scientiae est universale et necessarium, et quo dignior est scientia atque nobilior, eo maior est eius universalitas et necessitas (mathematica, philosophia). *Atqui* res existentes non sunt obiectum universale et necessarium, sed singulare et contingens. *Ergo* possibilia debent habere realitatem obiectivam, ut scientia habeat valorem obiectivum, neve sit purus lusus mentis.

b) Pantheismus, Fatalismus, Atheismus inde sequentur. Nam si possibilia sunt absolute nihil, nihil est possibile, nisi quod existit et quia existit; quidquid igitur non existit, neque possibile est. *Atqui* tunc nihil posset fieri, quod nondum existit, quia illud solum possibile esset, quod existit; neque quidquam perire posset, quia, quod non existit, impossibile esset; omnia igitur necessario existerent, et quidquid possibile esset, necessario existeret, quia existentia esset unica ratio possibilitatis. Iam vero necessitas existentiae non inventur nisi in ente a se; unde si possibilia essent nihil absolutum, omnes res deberent esse partes divinae essentiae; deinde omnia necessitate evenirent, ut Fatalistae dicunt Pantheistici et Materialistici. Neque Deus quidquam libere facere posset, nulla esset Dei providentia, nulla creatio libera, nulla Dei omnipotentia, nulla libertas humana, neque ulla posset esse in mundo mutatio, nulla rerum contingentium scientia; quo nil esse absurdius, nemo est, quin videat. *Ergo* possibilia habent aliquam realitatem obiectivam in se, licet non existentem, ac proinde constituant ordinem metaphysicum tanquam fundamentum et obiectum proprium cognitionis intellectualis et scientiae humanae.

## II. Possibilitas rerum concreta per earum realitatem metaphysicam intrinsecus constituitur.

*Prob. 1. Per exclusiōem*: Possibile, ut realitas quaedam metaphysica, debet habere rationem formalem, cur sit saltem metaphysica.

sica realitas et quidem haec determinata diversa ab aliis; e. g. cur homo possibilis sit animal rationale possibile nec potius lapis possibilis. *Atqui* haec ratio formalis non est rei existentia, neque est rei possibili extrinseca: neque nostra cognitio, neque Dei potentia sive libera voluntas sive intellectus. *Ergo* ratio formalis debet esse rei possibili intrinseca, i. e. eius propria essentia metaphysica.

2. *Ex conceptu possibilis concrete spectati*: Possibile concrete spectatum est realitas illa metaphysica, quae existere potest, i. e. subiectum cum forma sua essentiali vel individuali consideratum, e. g. homo = animal rationale. *Atqui* omnis realitas intrinsecus constituitur per suam essentiam; nam essentia est id, quo res est, quod est, et quo ab omnibus aliis distinguitur. *Ergo* etiam possibilia essentiis suis metaphysicis intrinsecus constituuntur.

3. *Ex comparatione rei possibilis cum re existente*: Res existentes intrinsecus constituuntur per suam essentiam seu realitatem physicam. *Atqui* res possibilis est eadem numero ac res existens, neque differt nisi per accidens, i. e. ratione status. *Ergo* etiam res possibilis sua ipsis essentia metaphysica intrinsecus constituitur.

## III. Possibilitas rerum abstracte spectata est notarum, quibus constant, sociabilitas.

*Prob. Ex contradictione inter ens et non-ens*: Possibile abstracte spectatum est natura considerata sine suo subiecto, sive est complexus notarum, quibus essentia rei metaphysica constituitur. *Atqui* notae, si sunt plures, non possunt unam naturam constituere, nisi sunt inter se sociabiles, saltem ita, ut possint simul in eodem subiecto inesse: e. g. animalitas et rationalitas in homine; circulus ferreus, aureus; alioquin una nota aliam destrueret ac proinde tota essentia nihil esset, e. g. circulus quadratus, vel spiritualis; Deus corporeus. Si autem natura possibilis ex una nota constat simplici sive physica sive metaphysica, a fortiori nulla adest repugnantia, quia illa nota secum identica est. *Ergo* possibilitas rerum abstracta est sociabilitas notarum, quibus constat earum natura metaphysica.

*Coroll. I. Cum possibilia neque a rebus existentibus, neque a cognitione nostra, neque a Dei potentia, voluntate, intellectu intrinsecus dependeant, sed ab ipsis supponantur, patet, ea esse a) immutabilia; nam neque ex se immutantur, quia ne existunt quidem; neque per divinam potentiam immutari possunt, quia eam ratione praecedunt; b) aeterna, quia supponuntur ut obiecta secundaria a divino intellectu, et praecedunt ratione divinam voluntatem; c) necessaria, quia non dependent a libera Dei voluntate, sed eam ratione praecedunt. Atqui possibilia nihil aliud sunt nisi rerum essentiae metaphysicae. Ergo et essentiae rerum metaphysicae sunt immutabiles, aeternae, necessariae (cfr. supra p. 405 sq.).*

II. Si essentiis rerum metaphysicis tribuitur immutabilitas, aeternitas, necessitas, haec proprietates essentiales non sunt positivae, sicut in Deo, sed negativae, i. e. non possunt unquam non esse possibilia; si autem res possibilis fit per causam efficientem physice existens, est mutabilis, contingens, temporalis quoad *statum existentiae*. Neque aeternitas rei possibilis significat rem ab aeterno *existere posse*, sed nullum tempus, sicut nullum locum assignari posse, quo res fieri et existere non possit, saltem per Dei potentiam. Unde affirmatur quidem aeterna rerum possibilitas, non autem possibilitas aeternitatis.

III. Si rei possibilis perfectio spectatur, distinguendum est possibile concretum et abstractum. Possibile abstractum, quum consistat in notarum, quibus natura rei constituitur, sociabilitate, non potest admittere plus et minus; nam notae aut sunt sociabiles aut non. Si primum, adest quod requiritur ad naturam constituendam; sin alterum, non possunt naturam in se unam constituere. Ergo possibilitas rerum abstracta ac proinde etiam rerum essentiae metaphysicae neque crescere neque decrescere possunt. Possibile autem concretum, quum subiectum exprimat, quod habet illam naturam, admittit plus et minus *ratiōne modi plus minus perfecti*, quo natura inest in subiecto. Unde licet Petrus non possit esse plus homo quam Paulus, potest tamen esse homo *perfectior* quam Paulus; hoc idem valet de rebus possibilibus, quae excepto statu existentiae eaedem sunt numero cum existentibus.

IV. Quum possilia intrinsecus suis ipsarum essentiis constituantur, apertum est, a) cur possint per se concipi conceptu positivo, quin recurramus vel ad rerum existentiam vel ad Dei intellectum, voluntatem, essentiam; nam intellectus potest positive cognoscere, quidquid in se habet rationem entis, i. e. nullam continet contradictionem. b) Deinde patet, cur omnes homines omni tempore, ubique terrarum in veritatibus universalibus non solum consentiant, sed etiam persuasionem habeant, omnes debere hoc modo sentire, neque unquam fore, ut quisquam alio modo sentiat; nam illae veritates nituntur possibilibus aeternis, necessariis, immutabilibus, quae sunt obiectum cognitionis nostrae eiusque norma et mensura immutabilis et universalis. (Cfr. critic. supra p. 369 sq.)

*Obi.* 1. Possibile est illud, quod potest esse ac proinde nihil est, dist.: nihil physicum — conc.; nihil metaphysicum — nego.

2. Atqui est nihil metaphysicum, quia in se cognosci non potest; dist. a nullo cognoscente (Deo) — nego; a nobis, subd.: omnia possilia et quidem conceptu adaequato — conc.; nulla possilia, neque conceptu positivo — nego.

3. Atqui nulla possilia conceptu positivo a nobis cognoscuntur, quia cognoscuntur per aliud sc. existentiam; dist.: conceptus possibilis a nobis primo efformatur abstrahendo ab existentia — conc.; non continet propriam realitatem, subd.: physicam — conc.; metaphysicam — nego.

4. Atqui neque continet realitatem metaphysicam, quia possibile existit tantum in mente ut ens rationis; dist.: existit tantum in mente, ita tamen ut etiam extra mentem existere possit — conc.; alias — nego.

5. Atqui affirmare, possibile habere esse aliquod extra mentem, esset „ontologismus“, i. e. ex eo quod aliquam rem concipio, arbitrarie eam esse

affirmarem; dist.: esset ontologismus, si ex conceptu rei illico inferrem eius *existentiam*, quin eam apprehendissem — conc.; si conceptui aliud in ordine metaphysico subesse affirmo, subd.: esset ontologismus, si obiectum directum apprehensionis seu ideae esset aliud mere subiectivi, sicut Idealistae putant — conc.; cum obiectum conceptus directi immediatum sit realitas aliqua obiectiva, saltem metaphysica — nego.

6. Atqui tunc conceptui tribueremus rationem „hypostasis“, sicut Platoni; dist.: conceptum efficeremus rem in se et per se existentem, i. e. substantiam physicam, quae proprie hypostasis vocatur — nego; conceptui aliud reale saltem in ordine metaphysico subesse statuimus, subd.: arbitrarie — nego; ex directa obiecti realis perceptione — conc. — Confundunt adversarii ordinem realem cum ordine physico; ordo realis autem comprehendit tum ordinem physicum (rerum existentium), tum ordinem metaphysicum (rerum possibilium).

*Thesis XVI: Ultima ratio extrinseca rerum possibilis est Deus.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Vidimus, rationem ultimam *intrinsecam* possibilis rerum esse earum essentiam tum concretam, tum abstractam, sicut homo per hoc ultimo intrinsecus formaliter est homo, quia habet naturam humanam. Quaeritur nunc, unde habeant res possibilitem suam, i. e. realitatem suam metaphysicam, et notarum sociabilitas unde sit derivanda, sicut de homine existente quaeri potest, unde habeat naturam humanam, per quam est homo, utrum a se, an ab alio. Affirmamus igitur, res habere suam possibilitem non a se, sed ab alio, i. e. a Deo.

2<sup>o</sup> Nonnulli cum Storchenu putabant, possilia ex se habere naturam suam metaphysicam ac proinde cognoscibilitatem, ita ut, etsi Deus non existeret, tamen esse et concipi possent.

*Prob.* 1. *Ex natura possibilium:* Possilia constituent realitatem aliquam metaphysicam finitam, indifferentem ad existendum et non-existentium. Atqui si illam realitatem ex se haberent, deberent: a) existere; nam etiam rationem possibilis extrinsecas, quae necessario cohaeret cum intrinseca, aut haberent in se, aut non; si primum, vel deberent semper existere, quod experientiae repugnat; vel ex se fieri deberent, quod principio causalitatis contradicit. Sin alterum, non iam possent unquam fieri, quia quod aliud ex se i. e. ex essentia sua habet, necessario et semper habet; unde deberent semper in statu merae possibilis intrinsecas permanere, quod tamen repugnat experientiae et sanae menti. Et sane, possilia semper ex conceptu suo includunt relationem ad potentiam extrinsecam, quae eis existentiam tribuat. Realitas autem, quae habet existentiam, eadem est atque in statu possibilis. Ergo possilia, quemadmodum existentiam non habent a se, ita neque realitatem suam metaphysicam a se ipsis habent. b) Deberent habere perfectionem infinitam, i. e. esse Deum; nam, ut infra probabitur, ens a

se necessario existit et est infinitum. Nullus enim est gradus finitus realitatis, qui non posset maior vel minor esse et concipi, ac proinde in se non habet rationem sufficientem, cur hic potius sit quam alius. Tunc solum adest ratio sufficiens, si aliunde causam repetimus, quae ultime non potest esse iterum alia causa finita, sed causa infinita, quae rationem totam et essendi et existendi in se habet. Ergo possibilia non habent esse suum metaphysicum ex se, sed ab alio, ac proinde tandem ab ente a se, a Deo.<sup>1)</sup>

2. *Ex natura Dei*: Deus est ens infinite perfectum, ita ut nulla perfectio esse possit, quae non vel formaliter vel virtualiter et eminenter in ipso inveniatur; alioquin non esset infinite perfectus. Atqui si possibilia haberent realitatem suam metaphysicam ex se, non a Deo, esset aliqua perfectio vera praeter Deum; nam possibilia tanquam exemplaria rerum existentium sunt ratio metaphysica omnis realitatis, veritatis, bonitatis, pulchritudinis, quae in rebus inveniuntur; immo continent in se rationem metaphysicam omnis veri, boni, pulchri infinite possibilis, i. e. constituunt ordinem metaphysicum ac proinde universum invisible veritatis creatae et creabilis a nullo spiritu creato unquam exhauiendum. Ergo possibilia debent ultimo a Deo dependere tanquam fonte unico extrinseco omnis perfectionis.

3. *Ex modo divinae cognitionis et operationis*: Repugnat, Deum in cognoscendo et operando dependere ab aliquo tum formaliter, tum eminenter, tum virtualiter sibi perfecte extrinseco; tunc enim non iam esset infinite perfectus et liber. Atqui si possibilia essent ex se, essent aliquid Deo perfecte extrinsecum: tum formaliter, quia intrinsecus essentia sua formaliter constituantur; tum virtualiter, quia ex supposito non essent a Deo, neque effecta neque ullo modo causata et ratione praecedunt intellectum et voluntatem divinam ab iisque supponuntur. Ergo possibilia non sunt ex se, sed ex Deo.

*Obi.* 1. Si possibilia essent ex Deo, essent effecta, dist.: si ageretur de possibiliitate extrinseca — conc.; cum agatur de possibiliitate intrinseca — nego.

2. Atqui etiam quoad intrinsecam possibilitatem sunt effecta; nam possibilia sunt contingentia, dist.: ad existendum — conc.; ratione possibilitatis — nego.

3. Atqui etiam ratione possibilitatis; alias deberent esse aliquid in Deo; dist.: formaliter intrinsecus — nego; fundamentaliter in divina essentia, virtualiter in divina potentia, formaliter *extrinsecus* in divino intellectu — conc.

4. Atqui nullo modo possunt esse in Deo aut ex Deo; nam tunc et impossibilia et peccata deberent esse in et ex Deo; dist.: I. p. impossibilia praelestim ex veritatibus necessariis mathematicis.

1) Cfr. Leibnitz (*Causa Dei* n. 7 et 8), qui possibilia a Dei existentia et intellectu dependentia facit. Leibnitii opera philos. Berlin 1840, pag. 653 sq. Kant, *Der einzig mögliche Beweisgrund zur Demonstration des Daseins Gottes*, dritte Betrachtung, deducens Dei existentiam ex relatione rerum intrinseca praelestim ex veritatibus necessariis mathematicis.

immediate, sicut possibilia — nego; mediate et ratione terminorum per se possibilium — conc.

Dist. II. p. peccata essent ex Deo, quatenus sunt ens aliquod (actus) — conc.; quatenus est defectus moralis in actu, subd.: directe — nego; indirecte ratione terminorum — conc. Unde si Deus non esset, nulla res esset possibilis vel impossibilis.

*Thesis XVII: Possibilia ultime fundantur in divina essentia; formaliter vero extrinsecus existunt in divino intellectu.*

*St. qu.* (1<sup>o</sup>) Ostendimus, possibilia aliquo modo ex Deo esse; quaeritur nunc, quo modo; quae sit ratio ultima, cur possibilia sint potius possibilia quam impossibilia, potius aliquid quam nihil.) Affirmamus, ultimam rationem esse divinam essentiam *ut infinite imitabilem* ad extra.

2<sup>o</sup> Cum divinus intellectus percipiat, quidquid est possibile, et divinam voluntatem et potentiam saltem ratione praecedere debeat, in quantum ad res *efficiendas* (non ad res *effectas*, quoad has enim intellectus divinus supponit voluntatem et potentiam divinam terminatas ad res existentes) spectant, patet, possibilia modo aliquo formaliter in divino intellectu existere, sed modo extrinseco et idealiter.

### I. Possibilia ultime fundantur in divina essentia.

*Prob.* (1. *Per exclusionem*): Probavimus, possibilia esse ex Deo. Atqui non sunt ex divino intellectu formaliter intrinsecus; nam hic supponit possibilia tanquam obiectum suum secundarium (thes. XIV); neque sunt ex divina voluntate (thes. XIII) vel potentia (XII). Ergo non restat, nisi ut sint ex divina essentia.)

2. *Ex perfectione divinae essentiae*: Essentia divina est infinite perfecta, neque quidquam perfectionis potest esse, quae neque formaliter neque saltem virtualiter in ipsa contineatur. Atqui possibilia, ut supra probavimus, continent in se aliquid perfectionis in ordine saltem metaphysico. Ergo debent illam habere ex divina essentia.

### II. Possibilia in divina essentia fundantur tanquam eius imitationes possibles.

*Prob.* 1. *Per exclusionem*: Ostendimus modo, possibilia habere suam perfectionem ex divina essentia tanquam ex fonte et causa sua ultima. Atqui essentia divina non potest esse: a) *causa efficiens* possibilium; nam *causa efficiens* supponit effectum physice existentem et distinctum ab ipsa; possibilia autem non sunt effecta neque existunt; b) neque est *causa materialis*; esset enim emanatio Pantheistarum; divina autem essentia est actus purissimus; c) neque est *causa formalis*; esset enim formalis existentia et immanentia

omnium rerum in Deo et Pantheismus prorsus subiectivus; deinde tunc possibilia, sicut in priore (sub b) positione, deberent existere; d) neque est causa *finalis* possibilium; nam causa finalis est operatione physice producenda; divina autem essentia est causa omnium prima. *Ergo* essentia divina non potest esse nisi causa omnium rerum *exemplaris*, quia alia ratio causae non superest.

2. *Ex divinae essentiae perfectione*: Quo perfectior aliqua res est, eo magis imitabilis est et imitanda, ut ex natura rei et artibus humanis elucet. *Atqui* divina essentia est infinite perfecta. *Ergo* etiam infinita imitabilis est et imitanda, neque unquam eius perfectio imitatione externa adaequate exprimi et exhaustiri potest, ac proinde etiam haec infinita imitabilitas divinae essentiae tanquam cum ea ex natura rei connexa necessario tribuenda est.<sup>1)</sup>

*Atqui* haec infinita divinae essentiae imitabilitas et imitatio non existit physice et formaliter et terminative in divina essentia<sup>2)</sup>; secus enim res essent partes divinae essentiae simplicissimae; Deus esset formaliter lapis, arbor, bestia, quod repugnat. Neque existit physice extra divinam essentiam; nam tunc res necessario essent et existent et quidem infinite multae, quod et rationi et factis repugnat. *Ergo* non restat, nisi ut illa infinita divinae essentiae imitabilitas ad extra sit solum possibilis et constituat fundamentum ultimum ontologicum possibilium.

### III. Possibilia formaliter extrinsecus existunt et constituuntur in divino intellectu.

*Prob.* 1. *Ex natura possibilium*: Possibilia habent realitatem aliquam metaphysicam, qua intrinsecus constituuntur, et sunt cognoscibilia. *Atqui* intellectus divinus cognoscit, quidquid est et cognoscibilitatem habet, sicut est in se, et perfecte cognoscit. *Ergo* possibilia existunt formaliter tanquam obiectum, i. e. extrinsecus et modo ideali in divina mente.

2. *Ex natura divina*: Natura divina est exemplar rerum vel materiale vel formale (cfr. supra p. 322). *Atqui* non potest esse earum exemplar formale; alioquin esset formaliter omnes res et Pantheismus statueretur. *Ergo* debet esse exemplar materiale, quo considerato intellectus divinus exemplar formale, licet ideale, omnium rerum format atque hoc modo possibilia formaliter constituit, sicut artifex, rerum pulchritudine et perfectione percepta, inde ideam rei perfectae format.

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. Quaest. disp. de veritate, qu. 3 de ideis, art. 2. <sup>2)</sup> „Essentia divina est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta“, S. Thom. l. c.

3. *Ex obiecto cognitionis divinae*: Primum et adaequatum obiectum divinae cognitionis est divina essentia ac proinde etiam eius infinita imitabilitas ad extra. *Atqui* haec imitabilitas non potest perfecte cognosci, nisi etiam termini imitationis, i. e. res possibles distincte apprehenduntur secundum formalem suam rationem. Iam vero possibilia non existunt formaliter et terminative in divina essentia; esset enim Pantheismus. *Ergo* possibilia formaliter et terminative constituuntur per divinum intellectum, non quidem intrinsecus et in se, sed extrinsecus et in ordine ideali. Iure igitur S. Thomas: „In quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam huius creature“. <sup>1)</sup>

*Coroll.* I. Intellectus igitur divinus res possibles percipit in divina essentia sicut imagines in exemplari radicali eminenter latentes, in divina potentia autem tanquam effectus virtualiter in causa contentos, sicut artifex idem exemplar, e. g. factum aliquod praeciarum, praesertim religionis, multis novisque semper ac diversis formis et imaginibus repraesentare potest; vel sicut nos eandem rem physice, immo saepe etiam metaphysice unam conceptibus formaliter diversis exprimere possumus. Differt autem cognitio nostra a divina maxime in eo, quod propter imperfectionem nostram ne res quidem finitas uno concepto adaequate percipimus, divinus autem intellectus adaequate uno eodemque actu divinam essentiam eiusque imitabilitatem perspicit; sed divina essentia nulla re finita adaequate repraesentari potest, unde infinitis modis imitabilis est ad extra.<sup>2)</sup>

II. Possibilia igitur non solum aliquod esse habent fundamentale, aeternum, immutable, necessarium consequens divinam essentiam, sed praedita sunt etiam ab aeterno existentia formali idealis extrinseca in divina mente. Sunt „rationes rerum stabiles atque incommutables, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae divina intelligentia continentur. Sed quum ipsae neque orientur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri et interire potest“. S. August. apud S. Thom. l. c. Bene de hac re Lessius: „Omnia possibilia continentur in essentia divina tanquam in originali radice et quasi in exemplari virtuali et radicali; in sapientia (i. e. intellectu divino) tanquam in exemplari formali, in quo etiam existunt obiective modo perfectissimo et illustrissimo; magis enim ibi fulgent quam in suis naturis creatis; in potentia tanquam in causa effectrice.“ (De perfect. divin. l. 5, c. 2, § 10.)

III. Nostra possibilia cognitio fundatur cognitione rerum existentium et est abstractiva; Deus autem cognoscit possibilia intuitive et perfecte; unde percipit singulas res possibles ut *individuales* quoad intrinsecam naturam. Quamvis igitur Deus cognoscat genera et species in possibilibus, in quantum

<sup>1)</sup> S. Thom. S. Th. I, qu. 15, a. 2; in qua quaestione de ideis divinis S. Doctor nostram quaestionem clare exponit. <sup>2)</sup> Cfr. s. Augustinum, Retractat. I, 3; de 83 quaest. 46, 2; Willmann, Gesch. d. Idealismus II, §§ 64 et 65: „Die idealen Prinzipien bei Augustinus und ihre Anwendung“.

singula inter se similia vel dissimilia sunt, non tamen cognoscit, sicut nos, naturam rerum per genus et differentiam specificam.

*Obi.* 1. Si ultima ratio possibilium esset in divina essentia, haberent esse divinum, dist.: si formaliter et terminative inessent in divina essentia — conc.; cum sit ratio fundamentalis — nego.

2. Atqui formaliter et terminative deberent inesse; nam intellectus divinus supponit, non facit suum obiectum, dist.: obiectum primarium (essentiam divinam) — conc.; secundarium (possibilia et res creatas), subd.: fundamentaliter et quoad rationem intrinsecam — conc.; formaliter quoad existentiam idealem, extrinsecam — nego.

Simili modo et nos res quidem cognoscimus, sicut in se sunt, sed non eo modo, quo in se sunt. Conceptus enim universalis, qua talis, formaliter constituitur per operationem mentis. Ita divinus intellectus cognoscit quidem divinam essentiam eiusque imitabilitatem, sicut est in se infinita, sed ad extra non est imitabilis nisi *finito* modo; qui modi finiti non existunt formaliter in divina essentia, sed constituuntur formaliter in ordine ideali per divinum intellectum. Quemadmodum nos rem physice vel etiam metaphysice unam e. g. humanitatem — animalitatem et rationalitatem per operationem mentis distinguere possumus et quidem in rationes obiective formaliter diversas, ita divinus intellectus distinguit modos finitos infinite multos formaliter inter se diversos, quibus eadem simplicissima divina essentia ad extra est imitabilis.

3. Atqui si possibilia essent imitationes divinae essentiae ab aeterno possibles, etiam ab aeterno creature existere possent; dist.: ab aeterno intrinsecus possibles sunt — conc.; *extrinsecus*, subd.: si creatio aeterna ex alia ratione non repugnat<sup>1)</sup> — conc.; alias — nego.

Neque enim idem est aeterna possibilitas et possibilitas aeternitatis, sicut neque simultanea possibilitas et possibilitas simultaneitatis. Ab aeterno filius iunior patre possibilis quidem erat, non autem re vera existere potuit; nam deberet simul esse aeque aeternus ac pater, quia aeternitas non admittit plus et minus; et simul deberet ex suppositione non esse aeque aeternus ac pater, quia iunior est.

4. Atqui tunc et res existentes eodem modo essent aeternae, quia sunt imitationes divinae essentiae et ab aeterno a Deo cognitae, dist.: in quantum erant et sunt possibles — conc.; in quantum sunt existentes, subd.: habent existentiam per divinam essentiam et intellectum, sicut possibilia suam possibilitatem — nego; per divinam voluntatem liberam et potentiam — conc.

5. Atqui si possibilia haberent suam possibilitatem ex essentia et intellectu divino, non possent cognosci sine illis, dist.: si nullam haberent in se realitatem metaphysicam, et intrinsecus per divinam essentiam vel intellectum constituerentur — conc.; cum habeant realitatem propriam metaphysicam et solum fundamentum in divina essentia, et existentiam extrinsecam in divino intellectu, subd.: adaequate et perfecte cognosci non possunt sine cognitione Dei — conc.; neque inadaequate et imperfecte — nego. — Unde res possi-

<sup>1)</sup> S. Thom. S. Theol. I, qu. 46 a. 3, qu. 7 a. 3 et 4. Contra Gent. lib. II, cap. 38.

biles cum divina essentia eiusque intellectu analogia attributionis intrinsecā convenient.

6. Atqui ille nexus necessarius, aeternus inter possibilia et divinam essentiam hanc efficeret dependentem et imperfectam; dist.: si divina essentia indigeret possibilibus, ut sit in se perfecta — conc.; quum pullulent ex eius abundantia, ut signum infinitae perfectionis — nego.)

### Caput III: De proprietatibus entis.

I. *Notio et natura:* 1. *Unum* definitur „ens indivisum in se“, quod igitur secum aliquo modo est identicum. Consequens est, ut ens in se unum eo ipso etiam ab aliis distinctum sit. Neque vero pertinet per se ad rationem unitatis, ut ens sit ab aliis distinctum, si quidem posset esse, ut nihil praeter ipsum esset, quin tamen per hoc amitteret suam unitatem. Unde sufficit ad rationem unitatis, ut ens sit in se indivisum.

2. *Unitas* nihil addit realitatis ad rationem entis, sed addit ad eius conceptum negationem divisionis.<sup>1)</sup> Ens enim fit unum per eius negationem, per quod fit plura. Atqui ens fit plura per divisionem. Ergo fit unum per negationem divisionis. (Primum enim quod peripimis est ratio entis. Quum vero cognitio nostra intellectualis incipiat a sensibus, sensuum autem obiectum sint res extensae, apprehendimus primum ens multiplex; negata vero multiplicitate, oritur conceptus entis *unius*, quem sequitur conceptus multitudinis.<sup>2)</sup> Neque tamen per hoc notio unius est mere negativa, quia non negat ullam perfectionem, neque negat rationem entis ipsius, sed quodam modo negat negationem, i. e. divisionem entis, unde affirmit potius entis rationem. Quod conceptus entis positive exprimit, conceptus unius negative dicit, rationem entis aliis rationibus opponens ac proinde magis in se affirmans; unde patet, unitatem esse perfectionem simplicem.

3. Quum igitur unum nihil realitatis addat rationi entis eamque magis in se affirmet, aeque late patet ac notio entis, ac proinde est notio *transcendentalis*, sicut notio entis. Differt igitur notio unius transcendentalis a notione „unicus“, quia unicum est illud solum, quod non habet simile in eadem specie, e. g. Deus; omne unicum est quidem unum, sed non omne unum est unicum. *Parmenides* igitur Eleates, confundens unum et unicum, Pantheismum inde deduxit: Praeter ens nihil est; atqui omne ens est unum; ergo omnia

<sup>1)</sup> S. Thomas, S. Theol. I, qu. 11., a. 1. <sup>2)</sup> I. c. art. 2 ad 4.